



Dette værk er downloadet fra Slægtsforskernes Bibliotek

Slægtsforskernes Bibliotek drives af foreningen Danske Slægtsforskere. Det er et privat special-bibliotek med værker, der er en del af vores fælles kulturarv omfattende slægts-, lokal- og personalhistorie.

Støt Slægtsforskernes Bibliotek – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug. Videre publicering og distribution uden for husstanden er ulovlig.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

EXAMEN PUBLICUM ANNIVERSARIUM

IN

SCHOLA METROPOLITANA

XII CALENDARUM OCTOBRIS A. MDCCCXXVII.

HABENDUM

INDICIT

RECTOR SCHOLÆ

NICOLAUS LANG NISSEN,

DOCTOR PHILOSOPHIÆ ET MAGISTER ARTIUM ATQVE PROFESSOR, ORD. DANNEB. EQVES.

~~~~~

Inest oratio habita in solemnibus scholæ ad tres Collegas  
muneri suo præficiendos.

---

---

HAVNIAE 1827.

TYPIS DIRECTORIS JANI HOSTRUP SCHULZTI,  
AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

---

Oportere magistrum ita se gerere præceptorem annisque majorem, ut in puero  
jam atque adeo adolescente virum futurum intueatur atque suspiciat.

---

# O r a t i o,

quam in Solemnibus *Scholæ Metropolitanæ*  
ad tres Collegas Adjunctos muneri suo rite publiceque  
præficiendos,

die XIX Octobris anni 1826,

habebat

Rector Scholæ

*Nicolaus Lang Nissen.*

*Auditores illustrissimi, amplissimi, summe reverendi, doctissimi, omnium  
ordinum, quotquot adestis, optimi!*

**E**n nos cinctos corona puerorum et juvenum; eorum vero, quos cogitare decet nos, post paululum annorum futuros e pueris adolescentes, integro virium animique robore vigentes, post duo lustra vel tria ex adolescentibus viros, annis et mente confirmatos, daturosque focis domesticis alios patresfamilias, rebus publicis alios cives, alios rerum et negotiorum administratores. Imo vero quis, talem ætatis florem intuendo, temperabit sibi, quominus, ruptis angustiis carcerum præsentis temporis, aliquam futuri temporis imaginem animo concipiat? Quippe oculus corporis nostri solum puerorum et juvenum gregem hic coram videt; mentis vero oculus, temporis futuri involucra retegens, ventura ita divinat, ut, qui hodie Vobis, auditores humanissimi! apparent hujus scholæ alumni, eos animo prospiciat, scena post aliquid annorum mutata, quum nos e vita decesserimus, in locum nostrum successisse — qui hodie adsunt ad instar agminis formicarum, veris et ætatis tempore copiam sedulo ad cellam promptuariam congerentium, eos prævideat, post breve tempus penus paratum, opere fervente, in omnes partes salubriter distribuentes laborem exercere, adeoque; quidquid boni est in hac vita, ejus causam atque materiem in iis inesse præsagiat.

Sic sagax illa cordataque mulier Tanaquila, regia conjux Tarquinii prisci, quum dormienti puero Servio Tullio, ut apud Livium legimus, in ædibus regis caput ardere vidisset, exque prodigii miraculo fortunam moresque alumni fato monstrari intellexisset, maritum alloquens, "*videsne,*

---

*inquit, puerum hunc, quem tam humili cultu educamus? Scire licet, eum lumen quondam rebus nostris futurum atque praesidium. Proinde itaque materiem ingentis publice privatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus!"* Et puer, coeptus erudiri artibus, quibus ad magnae fortunae cultum ingenia excitantur, juvenis vere regiae indolis evasisse fertur. Quidni et nos, qui aetati puerili juvenilique fingendae atque erudientiae vitam impendimus, prudentem illam divinamque mulierem ita imitamur, ut, non ex alicujus prodigii miraculo, sed ex signis, quae in erectissimo quoque puero virtutem moresque manisestant, virorum indolem sortemque futuram, providi, quibus timemus, auspices, auguremur? Quidni et nos ad ejus exemplum materiem optimae ejusque rei in alumnis nostris, omni, qua fieri potest, cura, docendo, monendo, adhortando, adjuvando, tuemur atque conseryamus?

Qvare a vobis, auditores omnium ordinum optimi! peto, ut verba facturo mihi in hisce solemnibus, quum in hanc deductus sim cogitationem; in ea liceat paulum immorari, commodasque dicenti praebentis aures, dum ipsis solemnibus praefando paucis ostendere studebo,

*oportere magistrum ita se gerere praepceptorem annisque majorem, ut in puero jam atque adeo adolescente virum futurum intueatur atque suspiciat.*

Magister vero ubi sic in puero jam virum futurum intuebitur, non minus suis ipsius rebus quam juventutis commodis inservire se deprehendet. Etsi enim non id mihi hodie agendum sumsi, ut de commodis inde redundaturis etiam ipsis docentibus, non solum discentibus, disseram, attamen, quum quod alteri conducat, idem alterius intersit, neque hanc rationem omittendam duxi, quin moneam, tanto minus molestum docenti fore munus suum, quanto magis volenti sit, tantoque gratius ei acceptiusque fore, quanto majorem habeat causam discipulos suos diligendi atque colendi. Quid est vero, quod, si praepceptoris animo discipulis conciliando opus erit, nec ipse sponte et quodam impetu eo ferri se patifur, ad id efficiendum.

plus valeat, quam revereri in puero humanitatem, atque ita hominem in homine videre, ut, quidquid boni et eximii in humana natura insit, ejus lubens vel in puero semina agnoscat, idque omni modo fovere, tueri et alere velit et cupiat?

Ut vero dignus sit, qui dicatur in puero jam virum intueri, oportet eum hanc humanitatem, aliter in alio se manifestantem, vimque adeo homini insitam, qualis in unoquoque puero vel juvene apparet, penitus cognoscere studere, ut, quantum sua cujusque natura permittat, sollerti doctrina veroque cultu eam promoveat augeatque. Ne vero longius evagetur oratio mea, disputationis hujus eam hodie partem prætermittendam duxi, quæ ad mores et ingenia puerorum, qualia pleraque sunt, in universum pertinere videatur. Magistrum vero, ut humanitatem jam in puero revereri dicatur, magis etiam oportet, in erectioribus animis et moribus posterioris ætatis expectationem ita respicere, ut eam cogitet a se repetituram, quæ prior ætas ipsi crediderit, ipsumque, nisi integrum reddiderit, incusaturam, caveatque diligenter, ne, quam perversitatem visiositatemque cum ætate puerili atque juvenili nonnulli morosiores homines querantur et criminentur ita connexam, ut ab ea separari non posse dicatur, eam male interpretando, vel unum solum ex illis minimis incuria sua aut inscitia pessum ire sinat.

Quodsi enim ingeniorum, quæ litteris excoli solent, in majore parte est mediocritas quædam, inter eximiam virtutem, quæ docenti raro obtingit, et tenuem facultatem, quæ nunquam ei obtrudi deberet, media, hujusmodi ingeniorum hoc proprium esse videtur, quod nec prorsus magistro contemni debent, quum utique certioris sæpissime sint fidei quam ingenia feliciora, nec multam magistrorum artem requirunt et sollertiam tractandi se atque coercendi. Est vero aliud genus ingeniorum, quod, etsi difficilius est tractatu, si quis omnes uno ordine velit habere, diligentiusque a magistro observari opus habet, eidem tamen, si sapit, adeo exoptandum est, ut talis pueri perversitatem, quam dicunt, non nunquam sibi molestam esse malit,

quam justam multorum aliorum tranquillitatem, ne dicam languorem, inertiam aut cunctationem, nihil unquam turbarum sibi creare. Dico erectioris indolis pueros atque juvenes, quos, si quando, quæ est vivacior eorum natura, ordinem excedunt, ut continere necesse est, ita alia ratione ac communia et mediocria ingenia, continendos esse apparet atque in ordinem redigendos, quid? quod longe alia ratione in universum habendos.

En enim tales pueros atque juvenes, dum scholis magistrorum intersunt, quomodo ab ore docentis pendeant, quæ traduntur, celeriter percipiant, quam libet multa infundas, sua faciant, imo plura sibi dari cupiant. Quam volupe est magistro, in mediocribus ingeniis dolandis frustra defatigato, alumnis non nunquam ejusmodi indolis exhilarari! En vero eosdem, omnium rerum inter condiscipulos regimina, quomodo, si, recte ac sapienter habiti, in meliorem causam ducantur, ipsique meliora sapere assuescant, condiscipulatu salutare exemplum omniumque, quæ optima cogitantur fiuntque, autores evadere possint. Qui sibi fidit enim, dux regit examen, sapiens ille poeta dixit. Idemque aliter ac in vita communi meliusque inter pueros dicit evenire, qui ludentes, rex erit, ajunt, qui recte facit. Quanti vero intersit magistri et publice et privatim, tales pueros ad suas partes trahere sibi quoque liberaliter conciliare, ut habeat ipse eos sibi adjuutores, non adversarios, ut habeant discipuli, qui recte utiliterque ipsorum non modo jocos verum etiam seria regant, quis est, quin videat? Multa vero ipsi nobis sæpe mala facimus in ejusmodi pueris. Cum enim negari nequeat, talia sæpe ingenia difficulter sibi temperare, quominus, quæ est vegetior eorum natura, mobilitati alicui non nunquam indulgentes, aut temere interrogando lectiones intempestive interrumpant, aut contra dicendo imprudenter turbent, aut minus æquo ad obsequium proni aut puerili aliqua sui fiducia inducti verba sibi imperari ægre patiantur, equidem multum absum, ut velim iis vel minimum licentiæ a magistris tribui; at vero vivaciori eorum naturæ id dandum puto, ut ne, sedationum ingeniorum æquo plus amantes, erectioremque naturam pravitatem et ma-

litiam habentes, quos excusare fas sit, eos oderimus, laudabilesque naturæ vires interire sinamus.

En vero eosdem, non soli scholæ utilitatem, exhilarationem animi docentibus, discentibus exemplum ostendentes, sed publicæ etiam vitæ præsidium, humanitati salutem, civibus, patriæ operam et usum pollicentes. En eosdem, jam ineunte ætate, vim insitam ita arguentes, ut, quales viri futuri sint, si recta doctrina atque institutio adhibeatur, in animo augurari liceat. Quid enim? Etsi in re manifesta historiæ testimonio non opus esse videtur, nonne sic in puero Cyro illo, abjectissimi bubulci filio habito, quum inter colludentes pueros rex creatus, regioque imperio dexterrime usus, principis apud regem ministri filium, male mandatis parentem, male verberibus mulcasset, et coram Astyge constitisset, liberaliore atque impavido responso: "*quodsi hujus rei causa malum tibi, o rex! commeruisse videor, en tibi præsto sum.*" ingenuam regiamque indolem sese ultro manifestasse videmus? Et sic quidem res dijudicanda esse videtur, ut verum esse intelligamus, quod ille Themistocles, qui multa ineuntis adolescentiæ vitia vir maximis emendavit virtutibus, postea de se ipse dixisse fertur, "*asperos nempe indomitosque pullos sæpissime, si quis veram doctrinam institutionemque adhibeat, optimos evadere equos.*"

Hic vero ipsa res me admonere videtur, ut non prætermittam, hujus viri, quem nuper dixi, magistrum, seu verius educatorem, pædagogum, — hoc enim magnopere mihi videtur dolendum, pueritiæ magistros non esse eosdem semper ejus educatores — ad coelum laudibus efferre. Hunc enim video, si quem alium in puero educando erectioris et tantum non indomiti ingenii, jam virum intuitum esse adeoque humanitatem in puero reveritum, ut omnibus, qui in pueris et juvenibus erudiendis versamur, sapientiæ, moderationis et providentiæ exemplum esse debeat. Non lubet immorari fabulis, quæ de dissolutis Themistoclis in pueritia moribus feruntur; malo iis, quæ historica fide a Plutarcho traduntur de mobilitate ingenii ejus inter discendum, deque ea animi pertinacia, qua elegantiorum

---



artium doctrinæ se tædere libere profiteretur, fidem habere. Quotus vero quisque pueritiæ magister insitam erectiori ingenio vim jam in puero sic, ut ille Themistoclis educator, vidisset? quotus quisque vel indomito in juvene ita humanitatem esset reveritus, ut, quum inconstantem nutricium semper aliud agentem videret, patientiam suam non ultra vinci passus esset, quam ut memoranda illa verba eloqui soleret: *"nœ tu, puer optime! nil parvi eris, sed magnum aliquid, aut boni aut mali!"* Profecto aliorum non pauci, humanæ naturæ minus periti, minusque providi, inque puero puerum solum intuentes, nihil ultra, ingenuas naturæ vires, virum cum puero, interire atque pessum dari facile passi essent.

Hujusmodi vero pueros erectioris indolis non solum præsens, sed et futura generatio exigit; eos cives, patria resque publica præsidium sibi exspectant; eos postera ætas, a priore ætate magistro commissos, sibi reddi poscit. Nos itaque, qui pueritiæ erudiendæ operam navamus, ne patiamini, hanc posteritatis vocem frustra emitti! Imo imitemur sedulo providum illum Themistoclis educatoris animum, in puero virum prospicientem, rectaque doctrina ferociorem naturam efformantem. Imo vero nos, collegæ doctissimi! serio imitemur prudentem illam Tanaqvillam, et quidem ita imitemur, ut, quoscumque curæ nostræ traditos erudiamus, in iis etiam viros futuros intueamur, sique aliquos invenerimus erectioris indolis, eos, materiem publice privatimque salutis, omni, qua possimus, diligentia tueamur, tantoque majore cura tueamur, quanto æqviora et justiora posteritatem a nobis repetituram intelligimus! Quod deus opt. max. faciat, ut bene nobis prospereque eveniat!

\* \* \*

Omissis vero, quæ hactenus disserui, ipsorum solemnium horum prolusionem, ad id, quod reliquum est, transeo, ut novos tres collegas doctissimos muneribus suis publice atque solemniter præficiendos renuntiem. Quod facturo persvasum est mihi, quæ bene precaturus sum iis, munus auspiciantibus, eadem vos, auditores humanissimi! animo pio participaturos.

Præterlapsi sunt verò septem anni, ex quo novissime hujusmodi solemnitatis in hac schola ad tres itidem collegas muneri suo præficiendos habebatur. Medio vero tempore, quod fuit interea haud adeo longum, haud paucæ mutationes numeri magistrorum scholæ, ut in hujus scholæ rebus sæpius quam alibi solet fieri, evenerunt. Reliquerunt interea scholam nostram sequentes: e numero magistrorum primariorum vir doctissimus *Simon Meisling*, regendæ scholæ Slaglosianæ admotus, postea et quidem nuper scholæ Helsingoranæ præfectus; e numero Adjunctorum: 1) Adjunctus *Johannes Hansen*, olim hujus scholæ discipulus ipse optimæ spei, postea in magistrorum numero annos non paucos singularibus docendi dotibus conspicuus, ad dignitatem primarii magistri scholæ Neocopiensis in Falstria evectus, nuper præmatura morte e mortalium numero sublatus: sit terra levis placida pace composito, molliterque ossa cubent! — 2) Adjunctus *Laurentius Christianus Holsøe*, morum probitate non minus quam sana et liberali disciplinam religionis hic tradendi ratione de schola nostra optime meritus, munere antistitis sacrorum coetus Öster-Egitsborg in Sjællandia donatus; — 3) Adjunctus *Sophus Zahle*, ut ingenio ita morum svavitate et amabilitate inter nos nunquam obliviscendus, ad sacra coetuum Assens et Klakring in Jutia curanda vocatus; præterea e numero magistrorum ordinariorum *Christ. Ericus Thurah*, jam inter Ripenses ad ædem St. Catharinæ antistes sacrorum auditoribusque frequentibus concionator probatissimus. Quæ mutationes magistrorum quum se ita forte exciperent ut novus magister non prius fere in locum antecessoris esset suffectus, quam vel rumor ederetur vel expectatio oriretur novæ alicujus mutationis futuræ, hinc factum est, ut, quum ejusmodi rumoribus tardius, quam crederetur, eventus stetisset, solemnitas novos magistros, interea factos, muneribus suis publice præficiendi non indies sed in annos procrastinarentur, donec tandem prorsus omittenda quam serius facienda viderentur. Quod vero ita accidisse quum hodie excusare cogar, tum tanto quidem vehementius excuso, quo magis et mea et scholæ causa doleo, eorum, qui in abeuntium

---

locum erant suffecti, par magistrorum nobilissimum interea nobis amissum esse, alterum quippe, *Sophum Zahle*, jam ante biennium nos reliquisse, alterum, *Paulum Möllerum*, jam in eo esse, ut nos relinquat, et quidem valedicturum nobis hodie adesse, tum spero fore, ut ob ea, quæ dixi fortuito et ingrate accidisse, apud omnes, ad quos pertinet, excusationem habeam, mihi que liceat vos, auditores! quorum id scire interest, edocere, e tribus Adjunctis, ante hoc triennium designatione regia creatis, solum remanere nobis Collegam doctissimum, linguarum orientalium scientissimum, *Jacobum Christianum Lindberg*, hoc anno vero, mense Martio, litteris regiis Adjunctorum munus duobus Viris juvenibus, eruditionis et morum laude probatissimis, demandatum esse, scilicet ornatissimo *Bonaparte Borgen*, Candidato Philologiæ, et ornatissimo *Petro Andreae Plum*, S. M. Candidato, qui utrique vero ad anni spatium et dimidium scholarum nostrarum horas extra ordinem participarunt, hujusque mensis die tertio Adjuncti munus similiter Viro juveni ornatissimo *Rudolpho Joh. Fr. Henrichsen*, Candidato Philologiæ, litteris regiis esse demandatum.

Cumque sic Regi Augustissimo placuerit, rebus scholæ hujus consulenti, hos tres collegas doctissimos atque ornatissimos Adjunctos scholæ constituere, deum ante omnia precemur, ut novos hosce magistros spiritu, voluntate atque viribus propitius instruere atque roborare velit, ut in dei gloriam, patriæ salutem, urbis hujus ornamentum, scholæ atque juventutis utilitatem opera eorum eveniat, utque liberali studio commoti, viribus integris confirmati, conamina sua bene succedere videant.

(Quæ hujus loci erant, conversa ad novos magistros oratione, adpellationes, ad unum quemque singulatim et nominatim factæ, ad eos tum auditoribus juventutique scholasticæ monstrandos, novos magistros a Rege Augustissimo creatos, tum scholæ Adjunctos rite proclamandos atque renuntiandos, eas, quum et communem aliquam for-

mulæ legem seqvi necesse esset, et publice ad lectores minus videantur pertinere, hic omittendas esse duxi.)

Salvete, collegæ doctissimi, ornatissimi! novumque munus vestrum strenui capessite, omnibus, qvi adsunt, congratulantibus et bene precantibus!

Tandem Tu, collega doctissime, Lector *Paule Möller!* accipe pauca verba mea, et nomine scholæ hujus et meo ipsius Tibi vale dicentis. Ades enim inter nos, non auspicaturus hodie aliquod munus tuum, sed munere tuo, qvo per triennium tanta cum laude functus es, qvantam commendationem famæ tecum attulisti; Te abdicaturus. Te alterum qvippe collegam carissimum præreptum it nobis Universitas Fredericiana Norvagorum; priorem interceptit nobis *Herslebium* nostrum, cui, si qvando pudor et incorrupta fides nudaqve veritas ullum inveniet parem, Te sane inveniet. Is est animi candor et ingenuitas, ut, si cui contigerit aliquod tempus Te familiariter uti, nemo possit Te non penitus cognitum habere, — si quis Te cognitum habeat, nemo bonus possit, qvin Te diligat. Mihi qvidem heu nimis *breve* tempus, si mea potius qvam tua commoda respicere liceat, datum doleo, te tuisqve virtutibus fruendi; satis temporis datum lætor te ita cognoscendi, ut non possim Te non amare et colere. Macte itaqve esto doctrina, ingenio morumqve amabilitate! — Sis felix, ubicunqve mavis, nostriqve memor vivas et hujus scholæ! Vale!

Deniqve vos, carissimi hujus scholæ alumni! verba benevoli monitoris accipite, hortantis vos, ut, qva qvidem mente huic solemnitati haud dubie interfuistis, in animis vestris eam ne torpescere sinatis, ut neqve laborem præceptorum vestrorum irritum faciatis, neqve abeuntis magistri spem de vobis conceptam frustremini. Estote modesti, animo et domi et in schola rebus honestis intento, semperqve in id incumbite, ut, quantum in vobis sit, et litteris artibusqve stet honos et gratia vivax, et hæc domus, fingendo sollerti disciplina ingenio exstructa, per vos indies melius audiat!

Qvam Tu, deus opt. m., semper servare velis atqve tueri, ut prodeat hinc numerus juvenum, veri decoris et publice et privatim materies, qvi-

que vere viri aliquando faciant, at Regis Augustissimi Regiæque domus com-  
moda, salus patriæ, urbis hujus ornamentum artiumque et litterarum lau-  
des indies magis magisque augeantur! Fac ut per artes et litteras vera hu-  
manitas veraque felicitas omnibus locis crescat! fac ut habitet verus animi  
cultus in eorum mente, penes quos est, eum inter alios aut alere aut op-  
primere! fac ut tenebræ superstitionum et inscitia in his terris profligentur  
et exsulent. Fac, ut scholæ nostræ, sapienti moderamine usæ, strenuorum  
magistrorum concordia et honestorum discipulorum probitate virtutisque  
amore semper floreat et vigeant. — Dixi.

---

Reliquum est, ut, quam ob causam hisce, qualia ea cunque sint, evul-  
gandis proluserimus, paucis indicemus. Instat examen anniversarium in  
schola nostra publice et eo quidem ordine, quem schema huic scriptioni  
adjunctum exhibet; agendum; cui ut frequentes adesse velint discipulorum  
patres tutoresve et quicumque litteris, juventuti rebusque nostris bene cu-  
piunt, officiosissime rogamus.

---

# S C H E M A

over Examinationens Gang ved den offentlige Examen i September 1827 i  
Metropolitanskolen.

| I 4de Classes Læsestue.                                                                                                                                               | I 5die Classe B's Læsestue.                                                                                                                                                                      | Stilene udarbejdes<br>saaledes:                                                                                                                                                                                                          |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p style="text-align: right;"><i>Torsdagen den</i></p> <p>9-11½ Latin III. A.<br/>11½-1½ Latin II. A.<br/>4-6 Hebraisk IV. Cl.</p>                                    | <p style="text-align: center;"><i>20de September.</i></p> <p>9-11½ Dansk IV. Cl.<br/>11½-1½ Historie og Geogr. III. B.<br/>4-6 Fransk II. AB.<br/>4-6 Tydsk I. Cl. (i II. Cl. Læsestue.)</p>     | <p style="text-align: center;"><i>Løverdagen d. 22de September.</i></p> <p>9-12 Latin Stil IV. Cl.<br/>— — — III. Cl. A.<br/>— — — III. Cl. B.<br/>— — — II. Cl. A.<br/>12-2 Tydsk Stil IV. Cl.</p>                                      |
| <p style="text-align: right;"><i>Fredagen den</i></p> <p>9-11½ Historie og Geographie IV. Cl.<br/>11½-1½ Græsk III. A.<br/>4-6 Dansk I. Cl.</p>                       | <p style="text-align: center;"><i>21de September.</i></p> <p>9-11½ Fransk III. B.<br/>11½-1½ Dansk II. AB.<br/>4-6 Religion og Bibelhist. II. B.</p>                                             | <p style="text-align: center;"><i>Onsdagen d. 26de September.</i></p> <p>9-12 Dansk Stil IV. Cl.<br/>— — — III. Cl. A.<br/>— — — III. Cl. B.<br/>— — — II. Cl. A.<br/>— — — II. Cl. B.<br/>— — — I. Cl.<br/>12-2 Fransk Stil IV. Cl.</p> |
| <p style="text-align: right;"><i>Løverdagen den</i></p> <p>9-12 Latin Stil.<br/>12-2 Tydsk Stil.</p>                                                                  | <p style="text-align: center;"><i>22de September.</i><br/>(i II. Cl. Læsestue)</p> <p>9-11 Fransk I. Cl.<br/>11-12½ Naturhistorie II. B.<br/>12½-2 Naturhistorie II. A.</p>                      |                                                                                                                                                                                                                                          |
| <p style="text-align: right;"><i>Mandagen den</i></p> <p>9-11½ Hebraisk III. A.<br/>11½-1½ Latin II. B.<br/>4-6 Historie og Geographie II. A.</p>                     | <p style="text-align: center;"><i>24de September.</i></p> <p>9-11½ Matematik II. A.<br/>11½-1½ Arithmetik II. B.<br/>4-6 Tydsk IV. Cl.</p>                                                       |                                                                                                                                                                                                                                          |
| <p style="text-align: right;"><i>Tirsdagen den</i></p> <p>9-11½ Latin IV. Cl.<br/>11½-1½ Latin III. B.<br/>4-6 Latin I. Cl.</p>                                       | <p style="text-align: center;"><i>25de September.</i></p> <p>9-11½ Historie og Geogr. III. A.<br/>11½-1½ Fransk IV. Cl.<br/>4-6 Matematik IV. Cl.</p>                                            |                                                                                                                                                                                                                                          |
| <p style="text-align: right;"><i>Onsdagen den</i></p> <p>9-12 Dansk Stil.<br/>12-2 Fransk Stil.</p>                                                                   | <p style="text-align: center;"><i>26de September.</i></p> <p>12-2 Naturhistorie I. Cl.</p>                                                                                                       |                                                                                                                                                                                                                                          |
| <p style="text-align: right;"><i>Torsdagen den</i></p> <p>9-11½ Græsk IV. Cl.<br/>11½-1½ Græsk II. B.<br/>4-6 Religion og Bibelhistorie IV. Cl.</p>                   | <p style="text-align: center;"><i>27de September.</i></p> <p>9-10½ Dansk III. A.<br/>10½-12½ Relig. og Bibelhist. I. Cl.<br/>12½-2 Arithmetik I. Cl.<br/>4-6 Tydsk II. AB.</p>                   |                                                                                                                                                                                                                                          |
| <p style="text-align: right;"><i>Fredagen den</i></p> <p>9-12 Græsk III. B.<br/>12-2 Fransk III. A.<br/>4-6 Græsk II. A.</p>                                          | <p style="text-align: center;"><i>28de September.</i></p> <p>9-10½ Tydsk III. A.<br/>10½-12 Relig. og Bibelhist. II. Cl. A.<br/>12-2 Historie og Geogr. I. Cl.<br/>4-6 Matematik III. Cl. B.</p> |                                                                                                                                                                                                                                          |
| <p style="text-align: right;"><i>Løverdagen den</i></p> <p>9-11½ Religion og Bibelhistorie III. A.<br/>11½-1½ Tydsk III. B.<br/>4-6 Historie og Geographie II. B.</p> | <p style="text-align: center;"><i>29de September.</i></p> <p>9-11½ Dansk III. Cl. B.<br/>11½-1½ Matematik III. Cl. A.<br/>4-6 Relig. og Bibelhist. III. Cl. B.</p>                               |                                                                                                                                                                                                                                          |

## De Candidater, som i Aar dimitteres til Academiet, ere:

1. *Frederik Christian Bornemann*, en Søn af Hr. Professor, Doctor juris, Matthias Hastrup Bornemann.
  2. *Hans Larsen Martensen*, en Søn af afdøde Litteratus Hans Andersen Martensen.
  3. *Frederik Nielsen*, en Søn af Hr. Christian Nielsen, Kammertjener hos Hs. Majestæt Kongen.
  4. *Lars Peter Larsen*, en Søn af afdøde Skipper Otto Larsen i Wor-  
dingborg.
  5. *Johan Frederik Christian Stützer*, en Søn af Brændeviinsbrænder Hr. Johan Frederik Ludolph Stützer, her af Staden.
  6. *Frederik Christian Meyer*, en Søn af afdøde Biskop, Doctor Theologiæ, P. Krog-Meyer.
  7. *Grey Harald Ludvig Holck*, en Søn af afdøde Greve Christoph Conrad Holck, Kammerherre og Amtmand i Cismar.
  8. *Johannes Andersen Gad*, en Søn af Kjøbmand Hr. Svend Gad, her af Staden.
  9. *Vilhelm Johannes Ambrosius Marcussen*, en Søn af afdøde Johannes Ambrosius Marcussen, Præst til Faareveile i Sjælland.
  10. *Hans Christian Heger*, en Søn af forhenværende Kongelig Skuespiller, Hr. Stephen Heger.
-